



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Ab innocentibus, & sibi nihil co[n]scijs; non esse metuendas eiuscemodi
desperatorum citationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

labantur. Panicus quidem & vanus est timor, sed multos, si non omnino occidit, saltem vehementer angit.

VII.

His talibus inculcandum est, Deum odio alterius aut falsitati non patrocinari. Itaque si ex æquo vel fecerunt, vel iudicauerunt; si constat de facti aut sententiæ, ob quam citantur, iustitia, possunt meritò eiusmodi citationem nihili facere. Deus iustus est, cuius oculus omnia videt, nouitque, qui sint nocentes vel innocentes. Deus supremus iudex est, cuius vice iudices ceteri funguntur. Præmium ergo ab illo, non supplicium debent expectare, qui, in tali casu, aut innocentes sunt, aut iustè iudicauerunt. Ita, vidi à quodam Religioso Superiore rideri & contemni, cum à podagrico valdéque impatiente Religioso (cui vinum negauerat vti que nociturum) in vallem Iosaphat citaretur. Ad eò nihil effecit ea citatio, vt ægrotus, quantumuis podagricis pedibus, tamen ferè triginta antè annis, cucurrerit ad diuinū tribunal. Principem quoque noui, qui à compluribus sagis, quas rogo iustissimè addixerat, ad Dei iudicium nequicquam est inuitatus. Arserunt sagæ, Principi nihil mali euenit. Idem fecisse legitur magnus ille, militum Imperator Gundizalus Ferdinandus de Corduba: qui, cū Tarentum obsidens maleficum quendam seditiosumq, inquit Iouius, militem ad supplicium duci iussisset; illè, multum reluctatus se iniquissimè damnari vociferaretur. & proinde Gonsaluum ad dicendam causam ad Dei maximi tribunal, magna voce, citaret: Vade, inquit, Gonsaluum, festinè, confisus optimo iudici, & causam instrue. Nam ibi, pro me aderit, qui opportunè respondeat Alfonsus frater; qui nuper ex Serra vermegia, in calum contendit. Tum enim Gonsaluo nunciatum fuerat fratrem à Mauris circumuentum, dignam forti piòq, duce mortem appetisse. Ad horum exemplum, quisquis est innocens, potest meritò spernere temerarios prouocatores. Non sunt audaces isti Leonardisci, apud Deum, tanti, vt, ad illorum arbitrium, forum,

Iouius in vita Gonzalui.

Pf. 144. 19.

agat. Voluntatem timentium se facit; Deum timentes, nihil mali petunt, aut dicunt.

Mali homines non sunt boni
Dictatores.